



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinae, 1603

Præclarvm Martyrivm S. Andreæ, Ducis Exercitus & Sociorum: ex eo quod extat apud Metaphrasten. Coronati sunt anno Salutis 301. Marcellini Papæ 5. Sub Galerio Maximiano Imperat. in Oriente, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

& specie ad dignitatem apposita inuentum est. Ad eius funus, cum adhuc in sepulcrum illatum non esset, multa miracula & insequentibus etiam diebus & annis facta sunt; & ut reliqua committam, Iacobus Bennicafa, Iurisconsultus Rauennas, cum desperata omni salute, & penitus destitutus, acerrimis podagræ doloribus affligeretur, seque voto nuncupato, diem Raynaldi festum, quotannis solenniter celebraturum obligasset, postridie eius diei, doloribus & morbo solutus est. Quod Ioanni quoque Grado, in graui capitis oculorumque dolore, cum esset ad Raynaldi sepulchrum profectus, eiusque opem suppliciter implorasset, per idem tempus contigit. Ex agro item Rauennati, eo vico, cui Herbofæ nomen est, mulier Blonda vocata, cacodæmone supra quam dici potest agitata, à cognatisque suis maxima vi ad Raynaldi sepulchrum pertracta, liberatur. Pari felicitate sacra virgo cœnobij D. Mariæ cognomento Padrieli, membrorum omnium resolutione obliquens, cum viri sancti patrocini inuocasset, repente sanitati restituitur. Atque hæc pauca de multis, quæ indies fiunt, collegisse sat fuerit.

P R A E C L A R V M M A R T Y R I V M S. A N D R E A , D U C I s E x e r c i t u s & S o c i o r u m : e x e o q u o d e x t a t a p u d M e t a p h r a s t e n . C o r o n a t i s u n t A n n o S a l u t i s 301. M a r c e l l i n i P a p æ 5. S u b G a l e r i o M a x i m i a n o I m p e r a t . i n O r i e n t e , D i o c l e t i a n i g e n e r o .

Vide 2 To-
mo Annal.
& Baron.

T E M .

TEMPORE illo, quo Maximianus imperij gubernacula tenebat, cum in omnibus circa locis, tum in regionibus Syriae acerrima in Christianos persecutio defœuebat. Erat Antiochus quidam superstitioni plurimum deditus, qui militaribus copijs cum potestate summa ab Imperatore præfectus erat: & inter Tribunos militares Andream habebat, virum multis egregijs ac strenuis facinoribus admodum insignem; prorsus ut illius virtus & admiranda fortitudo, ac præcipua in rebus gerendis prudentia, omnibus admirationi esset. Ea tempestate Persæ bellum aduersus Antiochum mouebant: & repentina incursione eximiaque multitudine eum non mediocriter perturbârunt. Porro Antiochus cum plurimum Andream fortitudini ac industriæ fideret, iussit ut instructa militum manu hostiles copias reprimeret: & ad cæteras laudes suas illi quoque belli à se confecti titulum adiungeret. Tunc Andreas, qui ad illum usque diem egregia Christianæ religionis ac pietatis semina in cordis sui penetranti recondita seruauerat, ut ea iam tandem dispergeret, fructusque suauissimos amplissimosque reportaret; magnum illum Gedeonem æmulatus, selecta quadam militum capita, optimis naturæ adiumentis ad percipiendam Christi gratiam fidemque idonea assumpsit; quibuscum, cæteris militibus domi relictis, infesta signa, in hostem copijs innumeraibilem intrepidus intulit. Antè verò quam acciem illam exigua admodum instrueret, luculètis sanè verbis de vnus veri & æterni Dei potentia præclare disseruit: & præcipua Christianæ

19. Augu.

Andreas insignis admodum Tribunus.

Iudic. 7.

*Hostes plu-
rimos paucis
militibus in-
uocato nomi-
ne Christi
fugati.*

*Profligat
demonēs.*

*Accusatur
Christiani-
tatis.*

*Insignis Con-
fessio eius.*

stianæ fidei documenta eis tradidit; hortatus
que omnes, ut vno Christi nomine fidenter in-
uocato, prælium inirent, ilico in opposita
hostium phalanges stricto mucrone irruit, &
nullo suorum amisso, hostem fudit fugauit-
que; illustremque victoriam, cunctis obstupe-
tibus, domum reportauit. Interea maximus
Dei athleta, ad stadium progredi paratus, præ-
stantioribus à Deo donis decoratus, maiores
vbique virtutis diuinæ insignia exhibebat. Nam
cum inuidum & superbum hostem doctrina
sua retunderet, tum verbulo ex obsessis corpo-
ribus profligabat: tantisque miraculis corus-
cabat, ut milites quidam, gloriæ illius inuidia
& liuore incitati, apud Antiochum eum de-
ferrent, quod Christum in Cruce suffixum,
Deum palam confiteretur.

Ea re turbatus sanè Antiochus, statim per
internuncios honoratos, partim assentationi-
bus, partim minis, partim admonitionibus,
Andreas animum à Christi cultu auellere co-
natus est. Cumque neque minis promissis quid-
quam efficeret, imò athletæ animū magis ma-
gisque roboraret, victū ilico ad se adduci ius-
sit, & omnibus audientibus eum interrogauit,
num Imperatoris edicto, an suo Deo parere
vellet. Ille autem constanter, aperte & distin-
ctè, Christum confessus est. Itaque Præses super-
bissimus, ironia quadam vtens, Quoniam, in-
quit, Andreas noster multorum bellorū faci-
gatus laboribus, & victorijs non paucis coro-
natus est, suadet, & summo iure vltima illius
lassitudo à nobis postulat, ut iam tandem opta-
ta diu requie potiatur. His dictis; iussit æreum
lectum,

lectum, copioso igne accensum componi, & Andream super illum cunctis nudatum vestibus prosterni. At ille præsenti & alacri animo, non expectata carnificum manu, in illum tanquam in molle stratum insiliit, decubuitque. Et primò quidem gravissimos cruciatus perpeffus est; sed mox eximio fidei fervore succensus, ignitum vndique corpus, canticis & hymnis & gratiarum actiōe refrigeravit: ipsumque tyrannum sua constantia & alacritate, ingenti dolore affecit. Tum nefarius ille Iudex, quosdam ex eorum militum numero, qui relictis simulacris vni Deo nomina sua professi fuerant, manibus pedibusque in linguis quadratæ figuræ suffigi iussit, fixoque ridens interrogavit, num ea res illis volupati esset. Repentè illi animo valdè iucundæ rem iucundissimam sibi esse affirmarunt, addentes; Vtinam Christi efficiamur imitatores, qui propter nos in Crucis ligno suffixus fuit. Perculit hoc responsum Tyrannū graviter, iussitque Andream è lecto sublatum carceri mancipari; verbo quidem, quòd martyri tempus dare vellet, ut maturè sententiam mutaret, re autè vera, ut intereà imperatoris sententiam, cui Andream admodum charum esse nouerat, exploraret.

Porro Imperator Maximianus, ut per Antiochi literas de Andrea cæterisque militibus certior est factus, veritus ne vniuersum exercitum morte tam præclari Ducis, optimorumque militum turbaret, ac animos omnium à se alienos redderet, monuit Antiochum, ut Andream eiusque sodales è carcere liberos dimitteret, quasi

*In ferreum
lectum igne
candentem
collocat se
martyr.*

*Sociorum
militum
cruciatum.*

*Mittitur in-
dè in carce-
rem.*

quasi antea actarum rerum venia ijs concessa paulò autem pòst, nisi à sententia discederent, tanquàm alterius criminis reos grauius puniret.

Andreas, eiusque milites Christiani, dimittuntur liberi.

Baptizatur Andreas.

Matth. 10.

Andreas cum suis militibus trucidatur.

Antiochus igitur, accepto Imperatoris rescripto, Andream, ceterosque vinculis solutos, in pristinam libertatem restituit. At sanctus Dei eiusmodi fallaciae inuento, diuinitus cognito, vnà cum militibus in Ciliciam, ad Tarsum metropolim se contulit; vbi à Petro Tarsensi antistite, sacro fonte (necdum enim baptismus perceperant) lustrati sunt. Indè verò celeriter cum militibus profectus, Seleuci, Ciliciæ præfecti persecutionem (qui ab Antiocho in mandatis acceperat, vt vinctos eos illi transmitteret, vel gladijs conficeret) non metu, sed solius præcepti Domini respectu fugiens, tandem ad Tauri montis angustias peruenit, ac ibidem cum diuino oraculo locum illum suo ac sociorum martyris præfinitum cognouisset resedit: commilitonesque ad futurum certamen luculenta oratione roborauit. Porro Seleucus cum instructo exercitu iam eos affecutus, ilicò eundem in sanctos inuasisit. Ibi tunc profani illi & nefarii persecutores, ferociter & quodam cum dentium stridore ac fremitu irruentes, strictis gladijs beatissimos viros interfecerunt: eorumque sanguine præterlabentem fluuium impleuerunt. Statim autem, quem admodum beatus martyr in vltimo illo certamine precibus à Deo postulauerat, fons ille, in quem venerandus sanguis ille defluxerat, diuinis beneficijs mirabiliter scaturiuit; prorsus vt hodiernum vsque diem, diuina quadam virtute

tute prædictus morbos pellat, dæmones ex ob-
fessis corporibus fuget, & cunctis Christi gra-
tiam per intercessionem martyrum illorum
implorantibus sanitatem tribuat. Porro vene-
randas eorum reliquias, Petrus Tarsensis Epis-
copus, Nonnas Episcopus Berœensium, Theo-
dulus & Synesius diaconi, Marinus, Nicolaus,
Eusebius & Lamyrius Lectores, qui è longin-
quo certamen spectabant, honorificè condi-
derunt: in Hauriam ob merum Seleuci confu-
gientes.

VITA PERBREVIS S. MARIANI E-
remita. ex D. Gregorio Turonensi, De Gloria
confessorum, cap. 1.

FUIT in Termini termino Marianus eremi-
ta, qui vitam ab omni peccati contagione
alienam pomis agrestibus, & melle vel
oblato vel in sylvis quæsito, sustentabat. Qui
cum à plurimis plerumque pietatis ergo visi-
taretur, quodam tempore fuit sub arbore ma-
lo exanimis inuentus: incertum quo genere le-
thi extinctus. Tunc viri qui aduenerant, eiusq;
solatijs sæpius fructi fuerant, attulerunt eum
ad vicum Emanuensensem, ablutumque ac dignis
indutum vestibus, in Ecclesia honorificè sepe-
lierunt. Festa verò obitus eius, per singulos ce-
lebrantes annos, atque conuenientes populi,
crebrò ab infirmitatibus sanabantur.

Quidam autem de vicinis annonas diu in-
fectas aqua, ac germine producto conflatas,
facto igne, super vimina contexta coquere
parat, ad pocula facienda. Accedens autem vi-
nus vicinorum eius, ait: Quid tu ô homo, deti-

LI

neris

*Miracula
post obitum
eius.*

*19. Augu-
Pomis &
melle victi-
tat.*

*Festa dies
eius annua
miracula
clara.*